









2530.  
DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
FURTIS,

*Quam*  
Divina aspirante gratia

*Cum consensu Magnifici, & Amplissimi JCtorum ordinis in  
Inclytâ Leucori*

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Amplissimi & Consultissimi*

DN. FRIDERICI PRÆTORII

Megapolitani, J. U. D. & Professoris Extraordi-  
narij, Consiliarij Saxonici, & Imperialis Capituli, quod  
Quedlinburgi est, Cancellarij designati, Promotoris,  
Patroni, ac Præceptoris sui debitæ observan-  
tiæ cultu jugiter devenerandi.

*Publica disputatione exponit*

DANIEL NICOLAI

Megapolitanus.

*ad d. 1. Julij horis à 7. matutin.*

In Acroaterio JCtorum.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI.

ANNO M DC. XXXV.



DISTRICTO JURIDICA

F. U. R. 1. 2.

DIVISIONE JURIS

DE JURE NATURALI

DE JURE GENTIUM

DE JURE CIVILI

DE FRIDERICI PRATORII

DE JURE NATURALI

DE JURE GENTIUM

DE JURE CIVILI

DE JURE NATURALI

DE JURE NATURALI

DE JURE GENTIUM

DE JURE CIVILI

DE JURE NATURALI

DE JURE NATURALI

DE JURE GENTIUM





Σὺν Σεῶ.



**P**lanquam juxta effatum Imper.

Sacratissimi Justiniani nimis sit indignum, nimis item impium flagitijs præsidia quærere: nihil tamen Martiali hoc seculo frequentius, aut lubentius fieri experimur.

Ecquis enim est, qui non exploratum habet, quanta indies fermè latrocinia, sacrilegia, rapinæ, furta (ne dicam de alijs ejusdem farinae facinoribus) committantur, adeò ut illis coërcendis nullæ cruces, nulla patibula, ac ne Phalaridis quidem tyrannorum sævissimi tormenta sufficiant, nec tamen quenquam existere, qui vel ab ipsorum atrocitate, abhorreat, vel pudore suffundatur, quo minus patrantibus patrocinium vel applausum præbeat, tantum abest, ut quisquam severam illorum vindictam, aut coercionem admoliatur, quin potius sub velo indigentia, aut militaris licentia ea tegere & incrustare nitatur, adeò ut plus quam verè Seneca dixisse videatur, quando nihil, inquit, in rerum natura tam sacrum, quod non sacrilegium inveniat. At Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur. Hoc autem quantoperè non tantum rebus publ. exitiosum, sed & cuivis privato nocivum quid attinet dicere? Ex eo enim nihil aliud enascitur, nisi quod sub schemate istiusmodi licentia improbißimæ, boni mores depravantur, & posteritati, si quæ futura est, seculum justitiæ & probitate viduum obtrudatur. Tunc quippè consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent. Et desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant

A 2

vitio



vitio, mores sunt. Quod tamen ut dolendum, ita operæ  
precium duxi furtorum indolem quodammodo, scru-  
tari, & per subsequentes assertiones qualescunque ingenij  
vires cum DEO experiri. Sit ergo,

#### ASSERTIO I.

Furtum (a) est contrectatio (b) fraudulosa (c) lucri-  
faciendi gratia (d) vel ipsius rei (e) vel etiam usus (f) pos-  
sessionisvè (g) lege naturali prohibita (h).

(a) cum tritum sit, quod potior quidem sit rerum, prior ta-  
men verborum juxta effatum *Ulp. in l. 1. ff. de reb. cred. ratio*, non  
absre erit in frontispicio paucis vocabuli etymon attingere. Et  
extant quidem variæ originationes hujus voculæ, quæ tamen po-  
tius scitæ allusiones JCtis non infrequentes, quam veræ deducti-  
ones sunt vocitandæ. Dicitur enim furtum à furvo, id est, nigro  
propterea, quod clam & obscurè & plerumque noctu fiat *Eberh.  
Speckh. cent. 2. cl. 3. q. 13. Hillig. in Don. enucl. lib. 15. c. 29. lit. A.*  
Hinc græcè κλέπτεις dicitur ἀπο τῆς κλέψεως ab occultando,  
à quo & clepere latinum Plauto, Varroni, & alijs non inusita-  
tum. *Sic Livius lib. 2. decad. 3.* Si quis clepset, inquit, ne populo  
scelus esto, nevē cui cleptum erit. Vela fraude ut in *l. 1. ff. h. t.*  
ob id fortassis, quod nullum sit furtum, quod non cum fraude  
fiat, de quibus videre est *Gell. lib. 11. Noct. Attic.* ubi plures hujus  
voculæ adducit originationes, quæ tamen ipso Gellio Teste lon-  
gius petitiæ videntur. Omnium autem optima rei que con-  
gruentissima videtur, quæ furtum à ferendo deducit, quippe quæ  
desumpta est à forma essentiali, sive essentia formali, ipsam furti  
naturam, quæ in contrecta tione consistit, attingente, & ad  
Grammaticam quam proximè accedente. *Arithm. disp. 1. Colleg.  
crim. ass. 2. sub lit. A. in fin.* Furtum quippe non nisi contrectando  
fieri potest. *l. 52. §. 19. ff. h. t.* Hinc Græcis fures dicuntur Φῶγες  
ἀπο τῆς Φέγεω à ferendo, id est auferendo *l. 1. ff. h. t.*

(b) *l. 1. §. ult. l. 6. ibi, contrectando fiat. l. 9. ibi, assidua contrecta-  
tiooe. l. 14. §. 4. ibi, qui eam contrectavit. l. 20. §. 1. ibi, & eam con-  
trectaverat, & §. seq. ibi, & contrectat, & §. item si 8. ibi, ut contrectet  
& §.*



¶ *S. seq. ibi, quamvis id contrectare l. si quid 22. §. 1. ff. de furt. l. si quis 20. v. nobis itaqz, ibi, res ejus contrectat C. eod.* Est autem contrectare rem amovere, rem auferre, vel illâ abuti, vel ipso actu furandi opem ferre, aut res furtivas recipere §. 6. *Inst. de obl. quæ ex del. nasc. l. 3. §. si rem 18. ff. de acquir. poss. l. si quis 52. §. negz, verbo 19 ff. de furt. vel rem loco movere intercipiendi causâ, etiam si non auferatur. Bocer. class. 4. Disp. 1. §. 8. lit. D. fac. l. 1. §. 2. ibi, si intercipiendi causa. ff. h. t. l. thesaurus 15. ff. ad exhib.*

(c) nam furtum simpliciter ita dictum animo fraudandi fieri dicitur *l. verum 25. §. ult. ff. h. t.* Et furtum nemo facit sine dolo malo *l. in furti actione 50. §. 2. ff. h. t.* quippe furtum cum facto & animo requirit. *l. si quis testamentum 41. in fin. ff. ad L. Aquil.* Et ut in omni delicto fraus ac dolus malus respicitur *l. 14. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* ita & in furto affectus & animus furandi exigitur, si furtum committi sit dicendum. Nam sine affectu & dolo malo omnino non committitur §. placuit 7. *Inst. de oblig. quæ ex del. l. tutor 33. l. falsus 43. §. proinde 8. l. inter omnes 46. §. rectè 7. l. si quis 52. §. si quis asinum 20. ff. h. t. l. rei. comm. 45. l. merito 51. ff. pro socio.* Hinc si quis rem alienam contrectaverit, non tamen animo doloso, furtum non committit *Rittersp. ad §. 1. Inst. de oblig. quæ ex del.* quod multa ibidem ab ipso allegata juris exempla probant.

(d) *l. falsus 43. §. 4. ff. h. t. l. 8. §. 2. ff. arbor. furt. cas.* Si igitur non fecerit animo & affectu lucrativo furtum non committitur, *Exempl. est in l. verum 39. junct. l. qui injuria 53. ff. h. t.* adeoque contrectatio fieri debet eo animo, ut Dominus re sua invitus defraudetur *l. pen. in fin. ff. de condict. caus. dat.*

(e) scilicet alienæ regulariter, quia quilibet re suâ liberè uti & abuti potest *vulg. l. 21. C. mand. Hunn. ad tr. vol. 2. disp. 30. §. 1. q. 3. Harpr. ad §. 1. n. 30. Inst. de oblig. quæ ex del.* Rei enim propriæ nisi ratione portionis communis sit cum socio, vel ratione juris, quod aliis in illâ re residet, furtum committi non potest *l. si socius 45. l. in actione 19. §. fin. l. qui injuria causa 53. §. 4. ff. h. t. l. merito 51. ff. pro socio. 2.* Corporalis, quia res incorporeæ sub sensu exterioribus non cadunt, adeoque nec tangi, nec contrectari possunt *l. servus 43. §. 1. ff. de A. R. D. 3.* Mobilis, quia immobilium furtum committi non potest *l. verum 25. l. si is 75. ff. de furt. l. quàm rem. 38. ff. de usucap.*

A 3.

(f) v. g.



(f) v. g. si commodatarius re commodata diutius, quam con-  
venit, utatur, vel si depositarius utatur re deposita vel creditor  
pignore *l. qui jumenta 40. l. si pignore 54. ff. de furt Harpr. ad. §. 1.*  
*n. 50. Inst. de obl. quæ ex del. §. part. 2. disp. 17. ad Inst. §. 1. lit. F.*

(g) qualem habet bonæ fidei possessor *l. furtivam 74. ff. h.*  
*t. ut si debitor rem pignori datam creditori solam possessionem*  
*habenti subtrahat. §. furti autem actio 13. §. seq. Inst. de obl. quæ*  
*ex del. nasc. fufius Borch. ad §. 1. Inst. eod. ad hæc verba.*

(h) quia furtum est natura turpe *l. probrum 42. de V. S. Gædd.*  
*ad hanc L. Wesenb. in w. n. 7. de furt. Myns. & Heig. ad §. 1. Inst.*  
*de obl. quæ ex del. nasc. n. 10. Vultejus ad eundem. n. 3. Arum. Exerc.*  
*Justin. 17. §. 4. Bronch. cent. 4. Enant. ass. 72. Besold. part. 2. delibat.*  
*ad lib. 47. ff. q. 1. Est igitur contra naturam, quia jure Natura-*  
*li seu Gentium res plerumq; nobis acquiruntur §. singulorum 11.*  
*Inst. de R. D. Et distinctio dominiorum Jure Gentium introducta*  
*est l. 5. ff. de J. & J. per furtum autem illa distinctio violatur,*  
*cum id, quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri*  
*nequeat l. 11. ff. de R. J. & suum cuique tribuendum §. pen. Inst.*  
*de J. & J. Rittersb. ad §. 1. Inst. de obl. ex de l. p. 519. Accedit &*  
*ea ratio, quod nemini liceat cum detrimento alterius locuple-*  
*tari. l. 206. ff. de R. J. Hillig. in donell. enucl. lib. 15. c. 29. lit. K. An*  
*autem hæc verba JURE NATURALI PROHIBITA ad essenti-*  
*am definitionis spectent, dubitat Rittersb. d. loco. & Harp. ex ipso in*  
*§. 1. Inst. eod. n. 51. Donell. 15. Comm. 29.*

## ASSERTIO II.

Summa (a) autem furti divisio hæc est, quod aut  
sit manifestum, aut nec manifestum. Furtum manife-  
stum (b) ein öffentlicher Diebstahl/ est, cum vel in ipso facto  
auff frischer that/ vel intra terminos ejus loci, unde fur quid  
sustulit, cum re furtiva est deprehensus (c) in publico vel  
privato, aut à Domino, aut ab alio (d) antequam eo loci rem  
pertulerit, quo perferre & cum re furtivâ n anere destina-  
verat (e) Nec manifestum (f) est, cum quis insciis aliis rem  
furtivam eò pertulit, quò se recipere constituerat (g)

(a) Extan



(a) Extant quidem variæ furtorum distinctiones ab adjunctis & subjectis petita, ut quando distinguitur in Oblatum & Conceptum, quæ tamen species potius sunt actionis furto cohærentes, quàm genera furtorum §. 3. & seq. I. de obl. quæ ex delict. Est autem conceptum furtum, cum apud aliquem testibus præsentibus res furtiva quæsitæ & inventa sit §. conceptum 4. Inst. d. t. Et dicitur conceptum simul captum & apprehensum, & sic ipsa investigatio adhibitis testibus dicitur conceptio. Wesemb. ad §. 4. d. t. sub lit. A. ex Paulo lib. 2. de furt. cap. 31.

Circa hoc autem disquiri solet, num inquisitio rei furtivæ in alienis ædibus sit licita, ubi forsitan res detinetur? Et quamvis hoc prætextu ædes omnium curiositati servire videantur, quæ tamen nobis præbere debent tutissimum refugium ac receptaculum l. pleriq. 18. ff. de in jus. voc. & leges iniquum judicarunt, aliquem invito Domino in ædes alienas introire, adeò ut actio injuriarum hoc nomine detur l. qui in domum 23. ff. de Injur., cum periculosum sit alienæ domus secreta scrutari, & expediat Patriæ fam. ne secreta patrimonij pandantur: Grave quippe vel rei familiaris vilitatem detegere, vel divitias invidiæ subjicere l. 2. pr. vers. quid enim C. quand. & quib. quarta pars, nihilominus tamen si Magistratus interveniat auctoritas, & non levia præcedant indicia, licita videtur. Non enim videtur vim facere alij, qui jure suo utitur & ordinariâ actione experitur. l. 155. §. 1. ff. de R. J. Tr. vol. 2. disp. 30. §. 2. lit. A. Schneidw. ad §. 4. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. n. 2. ubi Godofr. quod requisitio admitti debeat missis tamen justitiæ executoribus. vid. Harpr. ad §. 3. & 4. Inst. eod. n. 23. Berlich. part. 5. Concl. 45. n. 24. & alij ibidem alleg.

Oblatum est, cum res furtiva alicui oblata, & apud eundem concepta sit §. 4. Inst. de obl. quæ ex delict. vel ut Treutl. loquitur præalleg. loco, investigata & deprehensa, ut actione concepti conveniri possit. Est & alia furti distinctio in diurnum & nocturnum; illud interdiu, hoc noctu fit, cum qua consentit Carol. Constit. art. 167. Cujac. 11. obs. 19. & 27. & lib. 15. cap. 16. Hinc & nocturnum atrocius punitur, cum Leg. XII. Tab. nocturnum furem occidere liceat, si deprehensus fuerit, diurnum non item, nisi se telo defenderit. l. 4. ff. §. 1. ad L. Aquil. l. si pignore §. 4. §. 2. ff. de furt. l. 9. ff. ad L. Cornel. de sicar. Quæ furti distinctio non solum de Jure Civili



Civili sed & divino probari potest, docente Harprecht ad d. S. 4. Inst. de obl. quæ ex del. n. 9. & seq. Est quoque distinctio in publicum & privatum, de privato nostra dissertatio, de publico sub Tit. ad L. Jul. Pecul. & in S. item Lex Julia 9. Inst. de Publ. Judic. Perinde, uti aliud dicitur domesticum, quod à persona domesticâ, vel ab uxore, filio, ministro, &c. committitur Wesemb. w. de furt. n. 8. quod peculiare obtinet nomen in Tit. ff. rer. amot. & rerum amotio vocitatur l. si quis 52 pr. & S. 1. & 2. ff. de furt. P. H. G. Carol. V. art. 165. aliud non domesticum. Sunt & aliæ rei minus accommodatæ, quæ videri possunt apud Wesemb. w. de furt. n. 8. Tr. disp. 30. vol. 2. §. 2. per tot. Omnes tamen ad summam illam à nobis positam divisionem referri possunt.

(b) græcis ἐν αὐτοφώρῳ, qui in ipso flagranti crimine deprehenditur cum furto l. 3. pr. ff. h. t. Idem est ac in ipso facto diceret ἐν ἐργῳ l. 23. in fine princ. ff. ad L. Jul. de Adult. ibidem Godofr. fac. l. qui servum 96. ff. de V. O.

(c) deprehensio fit vel visu, vel manus injectione l. 3. ff. h. t. Visus non aliter pro manifesto habetur, nisi ipsi acclamatum fuerit. Tr. disp. 30. vol. 2. §. 1. lit. G. cum ibi allegato Cujac. 11. obs. 38. Vult. ad S. 1. Inst. de obl. quæ ex del. n. 7. Boccr. in tract. de furt. pæn. crim. c. 1. n. 111. cum seq. Sufficit autem sola acclamatio, etiam si non fuerit fur captus. l. 7. S. 2. ff. h. t. P. H. G. art. 157. cum seq. Sin autem injectio manus hinc accesserit, num quoque acclamatio requiratur? & affirm. Tr. d. l. Verum rectius solum sufficere manus injectionem putat Bachov. ad eund. d. l. Harpr. ad S. 3. & 4. Inst. d. r. n. 4. cum leges de eo tacent, & nostrum est sine iis loqui erubescere Nov. 18. c. 5. nisi quod fortè interdum ad probandam deprehensionem & manus injectionem acclamatio requiratur, uti Dd. hinc.

(d) non interest, num ab ipso rei furtivæ Domino, an verò à quovis alio fur deprehendatur l. 3. S. 2. l. 7. §. ult. ff. h. t. S. 3. Inst. de oblig. quæ ex delict.

(e) l. 4. ff. h. t.

(f) formula loquendi LL. XII. Tab. usitata nec pro non, ut Vult. in S. 1. Inst. de obl. quæ ex del. nasc. n. 8. ex Festo adducit Oldend. claus. 7. act. 3. circ. princ. & comprobata est in art. 157. P. H. G. ibi, ehe er darrt in sein gewarsam komet/ junct. art. seq. in pr. ibi ehe er an sein gewarsam komet betreten wird. Est quoque fundata

in



in §. 3. *Inst. de oblig. quæ ex del.* l. 2. ff. *de furt.* l. 6. pr. ff. *de his qui not. infam. fac.* l. 3. 4. l. 7. 8. l. 21. pr. vers. *nam et si* l. 34. cum seq. ff. *de furt.* l. 11. *C. eod.* Quamvis nostris moribus non magni sit momenti distinctio illa, num sit manifestum, vel nec-manifestum furtum, uti testatur. *Oldend. dict. loc. Damboud. prax. rer. crim. c. 110. n. 50. Myns. ad §. 18. n. 24 Inst. de Act. Obrecht. disp. 30. §. 16.*

(g) vel possit ex manifesto apparere, quid sit nec-manifestum, cum contrariorum, quantum ad eorum cognitionem attinet, sit eadem ratio pr. *Inst. de his qui sui &c. pr. Inst. de Tutel.* Cum igitur casus accadat, qui non possit ad manifestum furtum referri, ad nec-manifestum spectat. l. 8. ff. *de furt.* Accidit autem nonnunquam, ut quis simul manifestus & nec manifestus fur dicatur, cujus rei habetur exemplum in l. 21. pr. vers. *nam et si* ff. *b. t.* Verum non eodem tempore, eademque actione. Nam cum dolo malo contrectat nec manifesti, cum aufert & deprehenditur, manifesti furti reus efficitur. *Hotom. ad §. 3. Inst. de obl. quæ ex del.*

### ASSERTIO III.

Causa efficiens furti est vel propinqua vel remota, Illa est fraudulosa hominis voluntas (a); hæc, quæ & impulsiva dici potest, est oportunitas temporis, & loci, nec non spes lucri & occultationis. (b)

(a) l. 37. ff. *de usucap.* §. 7. *Inst. de obl. quæ ex del.* omnia enim delicta mente ac voluntate tanquam præcipuis & interioribus eorum causis principaliter dijudicantur l. 53. pr. l. 39. ibi, *nec enim factum &c.* ff. *de furt.* l. 41. in fin. ff. *ad L. Aquil. c. 54. ext. de sent. excomm.* Hinc apparet quod furtum duntaxat committant illi, qui doli sint capaces l. *verum est.* 25, in fin. l. *inter* 46. §. 7. l. *in furti actione* 50. §. 2. ff. *b. t.* §. *placuit* 7. *Inst. de oblig. quæ ex del.* Infantes igitur, Furiosi, & Impuberes furtum non commitunt, quia deficit hic ratio illa, sc. *fraus.* Et est de Infantibus l. *impuberem* 23. vers. *nam in infantes* ff. *b. t.* l. *infans* 12. ff. *ad L. Corn. de sicar.* De furiosis est l. 3. §. 1. ff. *de Injur. d. l. 12. ff. de sicar. l. 5. & l. furiosi* 40. ff. *de R. J.*

DE IMPUBERE hic maximè controvertitur, num ille furtum verè committat? Et Negativæ subscribendum putamus.

B

Perindè



Perindē enim ut furiosus non dicitur furtum committere, ita nec impubes, quia uterque voluntate destituitur, ideoque nec furti actione tenentur *l. 5. §. 2. ff. ad. L. Aquil. l. 12. ff. ad. L. Corn. de fcar. l. 50. §. 2. ff. de. furt. Donell. 1. comm. 22. Sichard. ad Rubr. C. de Novat. n. 10. & ad l. 3. n. 13. C. dn. in integr. rest. Hunn. in tr. de pact. c. 3. q. 2.* Ratio est, quia furtum non fit sine affectu furandi, nec sine dolo malo, Impubes autem eo caret *§. in summa 18. & §. placuit 7. Inst. de oblig. ex del. l. si quis 41. in fin. ff. ad L. Aquil. l. 50. §. 2. ff. de furt.* NISI SIT PROXIMUS PUBERTATI. *§. 18. Inst. de obl. quæ ex del. l. 23. ff. de. furt. l. 4. §. 26. ff. de dol. mal. & met. excep.* Ratio autem, cur pubertati proximus furtum committat, est, quod is doli sit capax, adeoque se delinquere intelligat *d. l. 23. §. 2. ff. h. t. l. pupillum in. ff. de R. J. Heig. ad §. 18. Inst. de obl. ex delict. nasc.* Quis autem pubertati proximus dicatur disquiri solet, & dicimus rem totam, utpotē nec expressā lege definitam, nec firmā ex mente legis ratione depromptā, decisam, iudicis arbitrio relinquendam esse *arg. l. 1. §. 2. ff. de Jur. delib. c. ult. X. de transact. Fab. ad §. pupillus Inst. de Inutil. stipul. n. 1. Menoch. de arbitr. Judic. quæst. cas. 57. n. 44.* Quamvis vulgō existiment, masculum pubertati proximum dici, qui decimum annum & dimidium adimplevit, fœminam verò, quæ nonum annum excessit & dimidium, *gl. in. §. in summa 18. in verb. infantie.* Vel quando saltem annus, aut dimidium anni sit reliquum *Rittersb. ad §. mutum Inst. de Inutil. stipul. & Borch. ibid.* Maximē autem temperamentum hominis respiciendum est, quod in hoc præstantius, in illo deterius reperitur, tum quoque regionis, vel loci, ubi natus vel educatus est, vel etiam aliæ circumstantiæ, quod hic vel ille præcocioris sit intellectus, majoris industriæ & malitiæ, adeoq; citius pubertati proximus, dolique capax dici potest, quam alius *Heig. ad §. 9. in fin. de Inutil. stipul. Dissentit Bocer. in tr. de poen. furt. crim. cap. 1. n. 11. & seqq.* Num & hoc in EBRIO obtineat ardua controversia est, propterea quod ille quoq; voluntate destitui videtur, adeo deficiente causā & effectus deficiat *per. l. 6. §. 7. ff. de re milit. l. 11. §. 2. ff. de poen. c. inebriarunt 15. q. 1. & cap. à crapula X. de vit. & hon. cler. Borch. de pact. c. 3. n. 15.* Verius tamen est, ut quidam Dd. loquuntur, quod quidem furtum committatur, sed poena deficiat. Num quoq; furtum com-

mittatur,



mittatur, si committens ratur, se Domini voluntate facere, si  
quid aufert, licet ipso invito fiat? quod neg. *per. l. 46. §. 7. ff. b. t. §. 7. Inst. de obl. ex delict.* sic Commodatarius res sibi commo-  
datas in alium usum quam ipsi sunt concessæ, transferens, furtum  
committit *l. 5. §. 8. pr. ff. commod. §. 6. Inst. de obl. ex del.*, nisi pu-  
tet se Domino volente id fecisse *l. 76. pr. ff. b. t. §. 7. Inst. de obl. que ex del. Berlich. part. 5. concl. pract. 44. n. 9.* Alias regulariter  
furtum committit pariter ac is, qui bona alterius surripit ut ea  
vel DEO, vel pauperibus elargiatur *l. 54. §. 1. l. 43. §. 4. ff. b. t. c. sic non 32. q. 4.* Furti namq; speciem obtinet ex alieno esse li-  
beralem *Sichard. ad l. 4. n. 21. C. de serv. fugit* vel ut loquitur *d. l. 54. ff. b. t.* quod sit species lucri de alieno largiri, & sibi beneficij  
debitorem acquirere, non obstante eo, quod finis deficiat, cum  
sufficiat causam adesse.

(b) *Wesemb. de furt. n. 9.*

#### ASSERTIO IV.

Materiam furti constituunt res (a) mobiles, quæ con-  
tractari possunt (b) sive sint res animatæ (c) sive anima  
careant (d).

(a) sc. alienæ ut in *ass. r. 1. lit. e dictum.* Quo referuntur,  
quæ non merè sunt alterius, sed & res communes ratione por-  
tionis, quæ socij est *l. socij 45. ff. b. t.* itemq; res propriæ respectu  
juris, quod alius in illis habet. *l. si is qui rem 66. l. 59. l. 15. §. fin. l. 20. ff. b. t. de quibus sub ead. lit.* Non autem sunt alienæ, quæ nul-  
lius in bonis sunt *Donell. 15 Comm. 30.* scilicet quæ sunt nullius  
simpliciter, nec unquam alicujus esse vel fieri possunt, ut res sa-  
cræ, sanctæ, religiosæ *l. 1. ff. de R. D. §. 7. Inst. eod. l. 83. §. 5. de V. O. l. 6. ff. de contr. empt. §. 2. inst. de Inutil. stipul.* Secus verò, si  
non simpliciter sint nullius, sed ut Dd. loquuntur, nullius singu-  
lorum, veluti bona publica aut universitatis *l. 1. in fine princ. ff. de R. D. l. 1. §. 1. l. 7. §. 1. ff. quod cujusc. universit. nom. l. 10. §. 4. ff. de injus voc. Giph. ad §. 7. Inst. de R. D. in pr.* Quando igitur di-  
citur rerum civitatis furtum fieri, tunc eatenus hoc intelligi de-  
bet, quatenus sunt in alicujus bonis, nempe universorum *l. 81. ff.*

B 2

b. t. We-



*h. t. Wesemb. w. eod. n. 10.* Controverti hic solet, cum dicatur de alienis furtum fieri, an qui ad sublevandam extremam famis necessitatem, edulia subtrahat, furtum commisisse dicatur? Et Negativa defendenda placet *arg. l. 1. ibi. nam ignosc. ff. de bon. eor. qui antesent. l. 3. ff. d. 7. § 7. P. H. D. art. 166. Geil. lib. 1. obs. 142. Berlich. conclus. pract. part. 5. concl. 44. n. 41.* Est & illa ratio, quod necessitatis tempore omnia censeantur esse communia & propria, non aliena *arg. l. 2. §. 2. vers. itidem ff. ad L. Rhod. de fact. § ibidem not. Godofr. Donell. enucl. lib. 15. cap. 29. lit. 1.* Deinde & ea ratio accedit *ex l. alleg. 1. de bon. eor. § c. quod sanguinem suum liceat quocunq; modo redimere, quamvis postmodum, si ad pinguiorem fortunam redierit, ad restitutionem, vel estimationem teneatur Berlich. d. conc. n. 47.*

(b) *de his in assert. n. sub. lit. b. § e.*

(c) nam & hominis furtum fieri potest ei, in cuius potestate est, veluti filij fam. *l. eum qui. 14. §. 13. l. mater. 38. ff. h. t. §. interdum. 9. Inst. h. t. Boc. cl. 4. disp. 1. 8. 26. vel servi. l. qui vas. 48. §. 5. § 6. ff. h. t. l. 52. §. si servus 28. l. ancilla. 60. ff. h. t.*

(d) qualia sunt bruta animantia, vel armenta vel jumenta (quorum distinctio habetur *in l. boves 89. in pr. de V. S. ) l. 40. ff. h. t.* quippe quæ furto abigi queunt *l. 1. §. 1. ff. de abig. Itemq; gallinæ, anseres, §. gallinarum Inst. de R. D. vel pavones l. 37. ff. de furt. Vel pisces ex aliena piscina vel ex alienis aquis sive fluminibus non inclusis P. H. §. Art. 169. ibi so aber einer § c. Schneidw. ad §. flumina 2. Inst. de R. D. n. 11. Berlich. part. 5. Concl. § 1. n. 9. Boc. d. l.*

(e) Inanimatis rebus annumerantur arbores, lapides, arena, vel alij terræ fructus *l. 25. §. ult. l. 26. §. 1. ff. h. t.*

#### ASSERTIO V.

Forma consistit in fraudulosâ (a) rei contrectatione (b) intercipiendi causâ facta. (c)

(a) *supr. in Assert. 1. lit. C.*

(b) *supr. in ass. 1. lit. B.* Est autem illa contrectatio, vel vera, veluti cum res auferretur, & ad alium usum transfertur §. *furtum* 7. *Inst.*



7. *Inst. de obl. ex del.*, sic Commodatarius, Depositarius, Creditor non amovendo, sed contractando solummodo & abutendo furtum committunt *Wesemb. ad d. §. 7. lit. C.* vel ficta, quam quoad considerationem effectus jus pro verâ habet *Wesemb. w. n. 11. de furt.* veluti cum falsus procurator, qui debitori jubet, se præsentem debitum solvere, ut Creditori restituatur, debitum intercipit *l. 43. §. 1. ff. b. t. l. si procuratori 14. in fin. ff. de cond. caus. dat. l. falsus 19. C. de furt. Berlich. part. 5. Concl. 44. n. 22.* vel revocato mandato pecuniam à debitore accipit *l. cum quis. 38. §. 1. ff. de solut. Bachov. ad Tr. disp. 30. vol. 2. b. t. lit. E.* Est & hæc, (2) ficta in Receptatore rerum furtivarum, qui eadem pœnâ tenetur, atque principalis per *l. 14. C. de furt. l. unic. C. de crim. pecul. Hine Teuton. Veriverbium, der Häler ist so gut denn der Stähler (3)* quando aliquis res sibi concreditas malè perdit contra fidem datam, & hæc contractatio ficta est. *Tr. d. l. de his fufius agit Berlich. part. 5. concl. 57. n. 15. & seqq.* vel qui in officio suo fraudulentè versatur *l. tutor. 33. ff. b. t. l. si mandaverit 22. §. 8. ff. mandati.* Vel si (4) Tabellarius pecuniam sibi concreditam in suos usus convertit, nec ei, cui restituere promisit, vel debuit, restituit. *l. si is. 7. C. de furt. Wesemb. w. de furt. d. l.* Et utilis est hæc quæstio, An & quatenus Tabellarius, qui pecuniam sibi concreditam aliò perferendam retinet, dilapidat, vel in suos usus convertit, furtum committat. Ubi imprimis notandum, quod, si pecunia ei concredita in sacculo fuerit obfignata, omnino furtum committat, & hoc unanimi Dd. consensu approbatur per alleg. à Berlich. d. part. 5. concl. 58. n. 1. Sin verò pecunia illa non fuerit obfignata, nec in specie sed in quantitate ipsi Tabellioni tradita vel adnumerata, num & hoc modo furtum committatur, si pecunia illa alienata fuerit ei, cui adferre debuisset? Respondet *Berl. d. concl. n. 7. quod sic, non obstante Dd. contrarium opinantium, sententiâ d. loco à Berlichio satis refutata.* Cum dominium pecuniæ traditæ in Tabellarium non sit translatum, Ratio est hæc, quia actus agentium ultra vel contra mentem & intentionem illorum nihil operatur per *l. non omnis 19. pr. ff. de reb. cred. l. 3. §. 1. ff. de O. & A.* Is autem, qui pecuniam tabellario tradit ad alium perferendam, etiam si illi etiam eam adnumeret, hoc non agit, ut tabellarium Dominum pecuniæ constituat.



tuat. Tūm & hoc accedit, quod per nudam traditionem domi-  
nium non transferatur, sed tunc demum, si venditio aut iusta  
causa præcesserit, propter quam traditio sequitur *l. nunquam 31.*  
*ff. de A.R.D.* Idem obtinet de aurigis, qui res sibi commissas sur-  
ripiunt & vinum in aquam convertunt, cum iis, qui opem ad hoc  
præstant *R. A. de anno 1500. zu Geyburg Rubr. von den Fuhrleu-*  
*ten que constitutio Maximil. I. per Carol. V. Const. in Comitibus Augu-*  
*stani de anno 1548. confirmata & à Rudolph. II. in Comit. Francos.*  
*de anno 1577. renovata & maximè in der zu Franckfurt verbesserten*  
*Policeyordnung Rubr. von den Schiffvnd Fuhrleuten.*

(c) quando ea mente ut lucretur, intervertit & contrectat  
*l. i. l. 44. ff. b. t. l. pen. ff. de liber. caus.* Hinc interceptarum pe-  
cuniarum reus dicitur Suetonio in Domitiano.

#### ASSERTIO VI.

Non autem is solummodo, qui rem contrectat, fur-  
tum facit, sed & qui alij consilium dat (a) & hortatur ad fur-  
tum faciendum, vel opem præstat (b) adeò ut ex consilio  
& suasu furtum committatur. (c)

(a) consilium sc. fraudulentum §. *furtum a. 6. Inst. de obl. quæ ex*  
*del. l. inter omnes 46. §. 7. l. 52. §. 19. ff. b. t.*

(b) §. *interdum Inst. de obl. ex delict. l. 50. §. 1. ff. b. t.* Sufficit  
autem, si vel unum horum adsit ad furtum committendum *l. sæpè*  
*53. in fin. de V. S. Gedd. ibid. n. 7.* Cum autem delicta sine animi  
propensione non fiant *l. fugitivus 225. ff. eod.* videtur dicendum,  
quod nemo videatur opem tulisse, qui non consilium malignum  
habuerit, vel dolo malo, animoq; furandi opem tulerit, adeoque  
ea ferè semper conjuncta sunt.

(c) si autem solummodo consilium dederit aliquis, quod ef-  
fectum non sortitur, furti nequaquam obstringitur. *l. sæpè 53. in*  
*fin. ff. de V. S. l. sæpius alleg. 53. §. 19. ff. de furt. Oldend. cl. 7. act. 3.*  
*Bronch, cent. 4. Enant. ass. 73. Phil. Matth. ad L. Consilij 47. n. 11. de*  
*R. J. Bronch. ibid.*

Opem autem præstare dicuntur, qui ministerium aut adju-  
torium ad res amovendas præbent, vel qui excubias agunt, cum  
alij fur-



alii furem committunt, vulgò welche die Wache halten / vel qui  
adjutrices manus præstant, videlicet instrumenta præbendo, uti  
ferramenta ad ostium vel aliud quidvis effringendum, vel scalas  
admovendo ad ædes conscendendas, & quæ hujus generis similia  
*in alleg. ll. 50. s. 3. & 54. s. 4. ff. h. t. de his Berl. concl. 55. part. 5.*

#### ASSERTIO VII.

Formam furti finis excipit. Est autem finis spes lu-  
cri, nec sine ejusdem intentione furtum committi-  
tur. (a)

(a) *l. verum 39. ff. h. t. §. 1. Inst. de obl. ex del.* Hinc si studiosus  
studio vel amico suo librum vel aliam quamcunque rem vexa-  
tionis gratia contrectat & aufert, furtum non committit, quum  
ad furtum commissum requiratur fraudulosa hominis voluntas  
*l. 37. ff. de Usucap. §. 7. Inst. de obl. ex del. & delicta mente & volunta-*  
*te tanquam præcipuis earum causis principaliter dijudicentur*  
*l. 53. pr. l. 39. ibi, nec enim factum ff. h. t.* Et vel maximè huc facere  
videtur *l. 52. §. 20. ff. h. t.* Ubi si quis admissarios equos τῆς γονῆς  
ἀδριανῆς cepit, illisq; equas suas subjecit, furti non tenetur, quia deest  
intentio lucri; secus verò si lucrandi animo detinuerit, ut postmo-  
dum prætendat studium quærendæ stirpis & admissuræ *de quib.*  
*Cujac. 13. obs. 6.*

#### ASSERTIO VIII.

Effectus furti in actionibus & pœnis exindè descen-  
dentibus consistit. (a)

(a) *de quib. in subseq.* Tenentur autem pluribus actionibus,  
idque ob odium furum §. sic itaq; *Inst. de Act. vers. planè.* Quod  
irregulari modo procedit, cum hic jus singulare sit ex odio, quod  
alias singulare esse debeat ex favore *Locam. in not. ad §. 14. Inst.*  
*de Act. Wesemb. w. de furt. n. 12.*

#### ASSERTIO IX.

Actiones autem hinc descendentes aut sunt rei perse-  
cutoriæ, aut pœnam irrogantes (a) Rei Persecutoriæ sunt  
Actio



Actio ad exhibendum (b) Rei Vindicatio (c) Condictio  
furtiva (d) &c.

(a) *Wesemb. w. de furt. n. 13.*

(b) Hæc prior & præparatoria rei vindicationis §. *præterea*  
31. *Inst. de action.* ejusque usus in hæc valdè necessarius, & maxi-  
mè propter rei vindicationes instituta est l. 1. ff. *ad exhib.* cum res  
furtivæ non possint vindicari, nisi exhibeantur. Hinc quoque  
receptum est, ut actio ad Exhibendum cum Rei vindicatione cu-  
mulari possit *Wesemb. w. ad Exhib. n. 1.*

(c) quâ ad rem furto subtractam à quocunque possessore re-  
cuperandam agimus l. 25. pr. ff. *de O. & A. l. 54. §. 3. ff. de furt. §.*  
*ult. Inst. eod.* ut autem Rei vindicatio instituat, requiritur non  
nuda aliqua possessio rei, adeoque tantum prætentio ad interesse,  
sed ut dominium rei furtivæ penes eum sit, qui instituit. Nemini  
enim quam Domino competere potest l. 9. *vers. ubi enim l. 23. pr. ff.*  
*de R. V. l. ult. C. eod.*

Contra furem autem datur hæc actio non tantum, cum rem  
furtivam possideat, sed etiam si possidere desierit l. 9. ff. *de R. V. l. 25.*  
*pr. ff. de O. & A. l. unic. de alien. judic. mut. c. l. 27. §. 3. l. 36. ff. de R. V.*  
*Schneidw. ad §. ult. Inst. de obl. quæ ex del. nasc. n. 2.* Perdit autem  
hæc actio officium suum, si res ablata sine dolo & culpa furis tan-  
quam possessoris ante litem contestatam interierit l. 27. §. 2. ff. *de*  
*R. V. Heig. ad §. ult. n. pen. Inst. de obl. ex del.* Et cum rei persecuto-  
ria sit hæc actio non modo heredibus *per l. si mulier 2. l. §. pen. ff. de*  
*act. rer. amot.* sed & in heredes competit *per l. 6. §. item heres d. t.*  
Non autem solum contra heredes, sed etiam quoscunque posses-  
sore rei furtivæ hæc actio institui potest *ex d. l. 25. ff. de O. & A.*  
*§. fin. Inst. de obl. ex del.* Hinc emergit illa quæstio sat trita, num,  
si res furtiva empta fuerit ab aliquo & quidem bonâ fide, si scili-  
cet emptor ignoravit rem esse furto ablatam, rei vindicatio con-  
tra eundem possit institui, ita tamen, ut nullatenus VINDICANS  
pretium refundere teneatur? Et affirmativæ Leges patrocina-  
tur, ut est Rescriptum Divi Imper. Severi & Antonini in l. 2. C. *de*  
*furt.* & Imper. Alexandri in l. 3. C. *de R. V.* Item Diocletiani  
& Maximin. in l. 23. *eod.* Astipulatur & huic sententiæ  
*P. N. D. Art. 213. ibi ohn beschwerung & seq. Art. ibi niemand*  
*nichts schuldig seyn.* Sed hoc procedit cum limitatione additâ in  
art.



*art. alleg. 213. ut si possessor sumptus in rem furti fecerit, quod illi à domino restituendi sint ibi den allein / ob solches essend Vieh &c. non autem precium pro re furtivâ Tr. vol. 2. disp. 30. tb. 3. lit. A. Quod tamen iterum limitativè procedit, ut si à latronibus vel hostibus aliquis rem furtivam emerit, quod rem sine refuso pretio restituere emptor non teneatur. l. 6. l. 12. §. 7. ff. de. cap. & postl. Rationem hujus ex æquitate depromptam esse, ait Godofr. ad l. 2. C. de furt. lit. O. vel quod alias Dominus nullâ actione suam à latronibus consequi potuisset. Idque potissimum obtinet, si emptor tempore venditionis coram testibus adhibitis protestatus fuerit, se rem eâ mente comparare, ut eam Domino red- dere queat. Tunc enim negotium potius absentis gessisse, quàm rem furtivam emisse censetur arg. l. 2. & l. 39. ff. de negot. gest. Wurms. 1. Pract. 31. c. 1.*

(d) Et hæc quoq; actio rei persecutionem continet, quamvis ex delicto oriatur, ita ut si adhuc res superest, condictio pos- sit institui cùm omni interesse l. 3. ff. de. condict. furt., sin verò non extat, æstimatio rei à fure Domino agenti præstanda est l. 8. ff. de cond. furt.

Datur autem condictio furtiva. Domino, nec non ijs qui fictione Juris pro veris Dominis habentur, ut sunt Tutores, Cu- ratores vel alij loco veri Domini gl. in. l. 1. ff. de cond. furt l. 56. §. 4. ff. de furt. Myns. ad. §. 14. Inst. de action. n. 17. Schneid. ibidem. in vers. planè. n. 4. non tantum adversus furem §. 14. Inst. de obl. ex del. l. ult. §. ult. ff. Usufr. quemadm. cav. l. 7. §. 1. ff. de cond. furt. sed & adversus quosvis sine causâ & malâ fide possiden- tes l. 6. §. fin. l. 25. ff. rer. amot. Condictio autem incerti etiam b. fidei possessori non quidem de re, sed de possessione ablatâ vel interversâ datur, l. 12. §. fin. ff. de. cond. furt. Et quamvis occasi- one delicti detur cum tamen rei persecutionem in se contineat Condictio furtiva, datur etiam contra heredes & quidem in so- lidum l. 7. §. fin. l. 9. ff. de cond. furt., tametsi aliæ actiones ex delicto nascentes, itemq; pœnales non sint ad heredes, transitoria, nisi in quantum ad eos pervenit l. unic. C. ex del. defunct. l. 44. & l. in. §. ult. ed. R. 7. l. 22. C. de. pœn. Id quoq; notandum, quod dicatur he- redibus Domini dari, sc. universalibus, non autem, singularibus l. 10. §.



*l. 10. §. fin. cum. lib. seq. ff. de cond. furt. Schneidw. in §. 14. vers. plane n. 4. Inst. de Act.* An autem condictio furtiva cum rei vindicatione simul possit intentari, disquiritur. Et posse pleriq; Dd. concludunt, cum una alteram non tollat *l. 9. ff. de furt.* At verò cum rei vindicatione quis experiri velit, & postmodum condictione furtivâ agat, effectum condictio furtiva non consequitur, sed exceptione agens repellitur. *d. l. 9. §. 1. 54. §. 3. cod. Borch. ad. §. ult. Inst. de. obl. ex delict.*

#### ASSERTIO X.

Pœnalis est vel civilis vel criminalis : Illa est, qua Actor pœnam pecuniariam exposcit (a) Hæc sc. Criminalis (b) qua actor furem in judicio (c) arbitrariâ animadversione coerceri petit. (d)

(a) Et est vel dupli, si furtum sit nec manifestum, idque juxta dispositionem juris civilis ex. LL. 12. Tab. §. sunt autem *Inst. de noxal. act. l. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. 54. §. furem ff. de furt. Wesemb. w. eod. n. 14.* vel quadrupli, si manifestum sit, & est Juris prætorij *d. §. 5. §. in. fin. princip. Inst. de perp. & temp. act. vers. aliquando, ibi, furti quoq; Wesemb. ad §. 5. Inst. obl. ex del.* Quamvis uti aliæ prætorix anno terminari solent, non finiantur, cum absurdum id Imper. visum fuerit *d. pr. Inst. de. perp. & temp. act.*, præsertim cum sit succedanea Juri Civili, de quâ *Geill. lib. 11. Noct. Att. cap. ult.* Ratio autem, cur manifestum furtū gravius puniatur quam occultum, quamvis alias occulta gravius quàm manifesta puniri soleant, *l. 54. ff. de admin. tut. Wesemb. w. de furt. n. 14.* hæc videtur, quod qui palam furatur majorem præ se ferat impudentiam; nec careat suspicione violentiæ inferendæ, qui in perpetrando facinore palam non extimescit vim aliorum, quæ ratio cessat in ijs, qui clam furtum committunt. Non absimilis est ratio Schneidw. in §. ult. *Inst. de. obl. quæ ex del. nasc. n. 4.* quod ea, quæ natura turpia sunt, ut furtum per *alleg. l. 42. de V. S.* si effectus respiciatur, ob scandalum exindè promanans majore turpitudine fiant, si apertè, quam si clam fiunt *l. 2. §. 24. ff. de vi bon. rapt. Cui accedit Cujac. 19. obs. 12.*

(b) dic



(b) dicitur criminalis actio propriè accusatio. l. 3. ff. de ex-  
traord. crim.

(c) l. 56. §. 1. ff. de furt. l. pen. ff. de cond. caus. dat.

(d) l. ult. ff. de furt. l. ult. ff. de priv. delict.

Est autem hæc actio tam ex Jure Civili, uti ex l. ult. alleg. ff. de furt. apparet, quàm ex Constit. Friderici 2. F. 53. §. injuria seu furtum. 2. F. 27. §. si quis quinq. solidos 8. Quamvis & hic textus secundum quorundam Dd. opinionem hunc non spectet, nisi furtum cum læsione pacis conjunctum sit, Etiam si autem criminaliter de Jure civili agatur, nulla tamen poena mortis de eo jure constituta est, uti textus est expressus in Nov. 134. c. 13. vers. pro furto, junct. auth. sed novo jure C. de serv. fugit. Probatur quoque hæc actio ex. Const. Carol. Art. 157. & art. 160.

Ventilatur hic illa quæstio, num hæc actio sive hoc Judicium ex Carol. V. Constit. sit publicum nec ne? Verum nec ex Car. V. Const. publicum videtur, quia specialiter hæc Constitutione publicum esse non jubetur, ideoq; veteri Jure Justiniano extraordinarium dicendum erit per l. 32. in fin. C. de appellat. Boc. cl. 4. disp. 1. §. 88. lit. B. Georg. Schulk. in, synops. Inst. tit. de obl. ex delict. lit. A. Arum. Exerc. Just. 17. §. 3. Berlich. part. 5. Concl. pract. 43. n. 12, & seqq. Neque ex Friderici Constitut. publicum est, ac ordinarium: Si autem turbatio publica cum illo delicto conjuncta sit, videtur dicendum quod sic.

#### ASSERTIO XL

Furti actio civilis tam manifesti quàm nec-manifesti est perpetua (a) eiq; competit, cujus interest rem salvam esse (b) non autem ad furis heredes transitoria (c) nisi lis cum fure contestata fuerit.

(a) l. si cum quis 41. §. 2. ff. de furt. §. 13. Inst. h. t.

(b) INTERESSE hic intelligendum est ratione possessionis, vel juris realis, ut in l. 10. ff. h. t. non vero personalis, ut in l. 13. eod. ubi is, cui ex stipulatu res debetur furti actionem non habet, si ea surrepta sit, item is, qui emit, si est traditum non sit, quod emit, actionem non habet l. 14. eod. Secus est tamen

C 2



est tamen in eo emptore, cui traditio facta est, uti in §. 13. *Inst. de obl. ex del.* habetur, cum tamen horum intersit §. *fin. Inst. de Empt.*

(c) §. *non autem 1. Inst. de perp. & temp. ad l. 38. l. 111 §. in heredes ff. de R. J.* cum regulariter morte delictum & poena extinguantur *l. 6. ff. de publ. iudic. l. 1 §. 3. ff. ad Sctm. Turpil. l. unic. C. ex delict. defunct.* nisi quid ex delicto defuncti, ad heredes pervenerit. Hoc namque casu poena tenentur, adeoque illud lucrum ipsis extorqueri æquum est, ne sc. alieno scelere ditentur *d. l. unic. C. ex del. defunct.*

## ASSERTIO XII.

Restat ut de poenâ furti, quod criminali iudicio persequimur, agamus, quæ variè pro qualitate delicti infligi solet, (a) Est autem maximè de novo jure poena suspendij. (b)

(a) *l. aut facta 16. §. 5. & 6. ff. de pæn.* Est enim aliud furtum occultum, quod sine armis committitur, quod per *auth. sed novo jure. C. de serv. fugi.* castigari jubetur, non verò poenâ capitali plecti, si hoc fiat PRIMA VICE non ex æquans quinq; solidos vel quinq; aureos Ungaricos (solidus enim habetur pro aureo ungarico *vor den besten Ungerischen Gilden Wesenb. w. de furt. n. 15. Berlich. part. 5. concl. 43. n. 30.*) & absq; effractione seu armis committatur, auctoritate Judicis tenetur fur in duplum restituere *P. N. G. art. 157. ibi so es anders vermagt der Dieb dem beschädigten den diebstal mit weisvalt zu bezahlē; si non, carcere ad tempus aliquod detinetur inclusus, ibi wo aber der Dieb &c.* sin furtum apertum sit, adeo ut si in furto deprehensus fuerit, tunc fustigatio cum relegatione ipsi furi adjudicatur, ita tamen, ut si adhuc tantum in bonis habeat, bona per furtum ablata restituat, aut æstimium rependat *P. N. G. art. 158. ibi daß der Dieb am Pranger gestelt &c.* Ubi tamen proportio geometrica in poenâ inflictione attendenda est, sc. si persona sit honesta, & nobili familia oriunda, ubi ex æquitate, quadruplum exigitur. Ratio est hæc, quia in illis spes bona effulget, aliquando illas ad meliorem frugem redituras *d. art. ibi wo aber der Dieb &c.* Si autem cum armis & effractione sit commissum



missum, non attendi debet an magnum sit vel parvum, cum per hoc læsio præsumatur alterius intentata fuisse, sed capitaliter puniri debet secundum tenorem *Const. Carol. art. 159. ibi, so ist in dem Diebstal so mit Wassen geschicht &c.* Si furtum excedat quinque solidos, quod mereretur poenam capitis, ab eo tamē commissum, cujus fama alias sat nota, ibi pro ratione circumstantiarum poena dictanda est *P. H. D. art. 160. ibi, vnd dieweil solche &c.*

Aliud furtum dicitur ALTERA VICE COMMISSUM infra quinque solidos, cui fustigatio cum relegatione dicitur. *P. H. D. art. 161. ibi, darumb mag derselbe Dieb &c. si vero quinque solidos exæquet, aut superet, pro ratione circumstantiarum, gravior poena dictanda est d. Const. in fin.*

Aliud dicitur furtum TERTIA VICE COMMISSUM, quod poena capitali plecti debet. *P. H. D. art. 162. ibi vnd sol darumb nembllich der Mann mit den Strange &c.*

Et quæ aliæ habentur species furci in *dd. Art. Constit. Carol. V.*, quibus pro ratione circumstantiarum certa poena dictata est.

An autem pro uno magno furto quod tribus parvis æquipollet, poena capitis alicui possit imponi disquiritur? *Et affirm. Arum. Exerc. Inst. 17. §. 7. circ. fin. Hunn. in Resol. ad Tr. vol. 2. disp. 30. §. 3. q. 21. Verum contraria receptior, quam probant Boc. cl. 4. disp. 1. §. 97. Matth. Steph. in addit. ad Const. Car. art. 159. Fachin. 9. contr. c. 91. ubi in utramque partem disputat.*

(b) *Donell. euucl. lib. 15. cap. 30. lit. P. de poena suspendij num possit admitti, miris modis inter se digladiantur. Dd?* Nos dicimus quod sic, cum textus sit expressus in *d. Art. 162. P. H. D.* cui consuetudo & observantia fori, maxime suffragantur, quamvis de Jure Civili secus sit, de quo in *auth. sed novo Jure C. de serv. fugit.* controvertitur. Nec faciunt, quæ adduci solent, quod Sacer Codex adversetur huic sententiæ, cum nullibi furci suspendium probetur, quod tamen non obscure innuitur. *Gen. 40. v. 22. 2. Reg. 12. v. 5. Jos. 7. v. 24. & seq. Joh. 12. v. 6.* Cui accedit hoc, posito, quod Lex nuspiam in V. T. hanc poenam approbasset, non tamen exinde colligitur, nec hodiè licitam esse, quum illæ de furto in triplum, quadruplum &c. restituendo Leges forenses fuerint de controversiis totius Politicæ judaicæ latæ, quæ nos hodiè non stringunt, quod *Reinck. in Regim. sec. & Eccles.*



lib. 2. cl. 2. cap. 2. n. 4. ex multis ibidem alleg. probat. Adjungan-  
 tur Meisn. & Lans. in dissertat. de Legib. Etenim in furto non tam  
 res ipsæ furreptæ, quam animus fraudulentus & affectus attendan-  
 tur Harpr. ad §. 5. Inst. de obl. ex del. n. 10. Manet ergo indubitatum  
 quod suspendium furum possit probari ex d. Const. Carol. art. 157. &  
 seq. Constit. Frider. I. 2. F. de Pac. tenend. §. si quis quinq. solidos. Neq;  
 enim hæc pœna gravior est ipso delicto & nimis dura, ob id, quod  
 nulla sit proportio inter vitam hominis & rem furto ablatam,  
 quippe cum re non confertur in hoc delicto hominis vita, sed deli-  
 cti qualitas cum re contractata, propterea, quod fures æquæ Rei-  
 publ. statum turbent & humanam societatem lædant, violentque,  
 atque homicidæ, adulteri &c. Huic sententiæ favet Harpr. ad §.  
 5. Inst. de obl. quæ ex del. nasc. à n. 8. ad multos subseq. Boccr. cl. 4. disp.  
 1. §. 92. Berlich. part. 5. concl. 43. n. 12. & seq. & alij ab his allegari. Arum.  
 disp. Pand. 22. §. 6. Berens diff. Acad. ad Inst. 13. §. 10. Wesenb. de  
 furt. in fin. Meisn. part. 1. Sobr. Phil. Sect. 2. c. 4. q. 3. Arnis. 2.  
 Polit. cap. 18. Dissentit Bachov. in suis notis ad Tr. vol. 2. disp.  
 30. §. 3. lit. G. Zepper. in Explanat. leg. for. lib. 1. c. 12. Et notan-  
 dum est in furto, quod suspendium mereri dicatur, non solum  
 rationem quantitatis, sed etiam qualitatis loci & alterius cir-  
 cumstantiæ habendam esse de quibus Berlich. part. 5. concl. 43. n.  
 43. & seq.

Non inconvenienter & hic disquiritur, num fur in loco admissi  
 criminis, vel ubi deprehenditur, sit suspendendus? Et de Jure Civili  
 prius affirmamus Fach. 9. contr. 19. Hæno. diff. 18. contr. 5., quia remissio  
 de Jure Civili admittitur & sic regulariter ad eum locum, ubi de-  
 liquit, remittendus est l. 7. §. ult. ff. de accusat. l. 7. de custod. & exhib.  
 adeoque ibidem puniendus. Consentit Harpr. in §. 5. alleg. n. 8. &  
 part. post. disput. ad Inst. 16. §. 15. lit. C. Et id quoque adhuc in viri-  
 di observantia habetur, quum remissioni hodie locus sit attestante  
 Berlich. part. 5. concl. 45. n. 46. Verum ut rectè ibidem monet, non  
 nisi sub antigrapho, seu ut vocant sub literis reversalibus, durch  
 einen Revers oder Gegenbekänntniß/ quod remissio ejusmodi ne-  
 mini in suâ Jurisdictione præjudicet, si criminofus de suo terri-  
 torio ad aliud remittatur. Geil. lib. 1. de Pac. publ. c. 16. n. 30. sub  
 fin. & n. subseq. Quamvis alias, ubi fur deprehensus fuerit possit su-  
 spendi. Berlich. d. concl. & num.

ASSER.



### ASSERTIO XIII.

Excusantur autem à pœna suspendij Impuberes (a) Minores (b) & qui ad sublevandam famis necessitatem edulia subtraxerunt (c), quiq; pœnitentia ducti res furtivas restitunt. (d)

(a) Et hi à pena ordinaria suspendij excusantur Harpr. ad §. 18. Inst. de obl. ex del. n. 1. & seq. Schneidw. ad eundem §. n. 2. P. N. D. art. 164. pr. propterea quod doli capaces non sint, pœna autem extraordinariâ ad emendationem, hoc est verberibus, vel alia arbitrariâ pro conditione personæ afficiuntur; si autem pubertati proximi, adeoq; doli capaces, tunc pro ratione circumstantiarum, si furtum fuerit magnum, gravius plectuntur. P. N. D. eod. art. ibi. wo aber der dieb. in med. Harpr. in alleg. §. n. 5.

(b) licet Impuberes, in quibus ætatis defectum supplet malitia, vel si doli capaces sunt, furtum verè facere possint. l. impubere ff. de furt. Nihilominus tamen ratio ætatis habenda est. l. 4. §. 26. ff. de dol. except. l. 111. de R. J. l. 7. C. de pœn. §. 18. Inst. de obl. ex del. l. si adulterium 38. §. fratres ff. ad L. Jul. de adult. l. 10. ff. d. quest. Bronch. ad L. 208. de R. J. Fac. l. auxilium 37. §. 1. vers. in delict. ff. de minorib. non obstante l. excipiuntur 14. ff. de Scto. Syllan. Et mitius in delictis minores puniri pro Regulâ universali habetur. Menoch. de arbit. Jud. quest. cas. 329. n. 11. & seq. Berlich. part. 5. Concl. 44. n. 39.

(c) cap. si quis propter necessitatem famis. 3. ext. de furt. junct. c. fraternitas 11. caus. 1. quest. 2. c. discipulos 26. de consecr. distinct. 5. Harpr. ad §. 1. Inst. de obl. ex del. n. 14. & seq. Gail. lib. 1. obs. 142. n. 8. Verum & pœna ordinaria suspendij locum habet, si scilicet furtum sit insigne & magnum, quod tempore famis in eduliis surripiendis, vel tempore summi frigoris in vestimentis alteri auferendis committitur Damhoud. in pact. crim. c. 112. n. 37. Consentit. P. N. D. art. 166. ibi, wo denn der Diebstal rapffer & c.

(d) Veletiam Domino illarum nomine satisfaciunt arg. l. 11. ff. de injus voc. l. 5. §. 4. ff. de re milit. Pœna autem arbitraria, utputa incarceration, relegatio temporalis, vel pro qualitate rei, fustigatio ipsis dictari potest. Berlich. d. l. n. 70. & seq. Et hoc procedit ante inquisitionem: Secus autem, si inquisitio facta fuerit & fur  
incar-



incarceratus, etiam si tunc poenitendo res ablatas restituere vellet, non potest à poenâ ordinaria excusari. Poenitentia enim neminem excusat, qui ob admissum delictum in carcerem est conjectus *Heig. part. 2. quest. 32. & seq.*

Huic Classi quoque annumerari potest iste casus, quando fur cum rebus surreptis deprehensus delictum fateretur, locum simul, ubi furatus sit, & personas, quibus res surripuit indicat, tunc cessare videtur poena Suspendij, si Judici de commisso delicti certitudine non constet *per. l. 1. §. 24. ff. de Scto. Syllan. Georg. Schulk in Synops. Inst. ad. tit. de obl. ex del. in not. l. C.*

An autem suspensus si rupto laqueo vivus in terram decidat excusetur à poena statuta suspendij quaestionis est? & Neg. Idque probat *l. 1. in fin. ff. de quest.,* tum quod judicis sententia sortiatur suum effectum, adeoque realiter executioni manderetur *arg. l. 45. §. 1. & l. 55. ff. de rejudic. P. H. D. art. 162. ibi, vnd sol der Mann vom Leben zum Todt gebracht werden. Boc. tr. de Jurisd. c. 5. n. 71. & tr. de pen. furt. crim. cap. ult. n. 47. cum. seq. & class. 4. disp. 1. §. 94. Tr. disp. 30. vol. 2. §. 3. lit. g. ibidem Hunn. q. 27. & Bachov. sub ead. lit. Berlich sapius alleg. part. 5. concl. 45. n. 36. Diss. Wesemb. w. de furt. n. 9. Arum. disp. 17. Exer. Inst. §. 8. & disp. Pand. 24. §. 7.*

Neque etiam poenâ statutâ suspendij liberatur ad laqueum damnatus per puellam, aut mulierem nuptias ejus petentem *arg. l. 31. ff. de pen. Boc. tr. de Jurisd. c. 5. n. ult. & tr. de pen. furt. c. 3. n. 31. & seq. Hunn. ad treutl. d. disp. §. 3. q. 28. Bachov. ibidem. Ratio est hæc, quia interest reipubl., ne delicta maneant impunita *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 95. §. 1. vers. sanè. ff. de solut., cum poenæ sint ob maleficia solvendæ l. 70. §. ult. ff. de fidejuss.**

An autem suspensi corpus ad anatomiam Medicis sit concedendum in calce hujus disp. dubitatur? Et affirmativæ subscribendum putant *Berlich. part. 5. Concl. 48. n. 25. cum ibi alleg.*

*Wesemb. w. de cadav. punit. Speckh. Cent. 1. quest. 8. Non*

autem, nisi Magistratus accedente auctoritate & consensu. Et hæc de copiosissimâ furtorum materiâ pro temporis & ingenij modulo posuisse sufficiant.



Wittenberg, Diss., 1634-39

ULB Halle

3

005 151 511




TA → OL


VD 17











2530

DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
FURTIS,

*Quam*  
Divina aspirante gratia  
*Cum consensu Magnifici, & Amplissimi Jctorum ordinis in*  
*Inclytâ Leucori*

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Amplissimi & Consultissimi*

DN. FRIDERICI PRÆTORII  
Megapolitani, J. U. D. & Professoris Extraordi-  
narij, Consiliarij Saxonici, & Imperialis Capituli, quod  
Quedlinburgi est, Cancellarij designati, Promotoris,  
Patroni, ac Præceptoris sui debitæ observan-  
tiæ cultu jugiter devenerandi.

*Publica disputatione exponit*

DANIEL NICOLAI

*Megapolitanus.*

*ad d. 1. Julij horis à 7. matutin.*

*In Acroaterio Jctorum.*

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI  
ANNO MDC. XXXV.